



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 8. Utrùm gratia efficax constituenda sit in operante gratia, voluntatem ad salutarem consensum physicè prædeterminante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

imputabilitate verè sufficientem ad observandum præceptum, qui non aliter potest velle observare præceptum, quam potest homo sapiens velle in sensu composito sapientiæ sibi erui oculos ad exercendam libertatem, aut aliud simile motivum. Atqui in hoc systemate, qui v. g. urgente charitatis præcepto, habet quatuor gradus delectationis cælestis cum quatuor delectationis terrenæ gradibus, non aliter potest velle diligere Deum, quam homo sapiens potest velle in sensu composito sapientiæ sibi erui oculos ad exercendam libertatem. Ergo, &c.

6. Denique, in hoc systemate, sub excitantis gratiæ ex natura sua efficacis nomine, defenditur gratia verè necessitans, ut satis intelligi potest ex dictis, & adhuc breviter ostenditur. Gratia excitans ex natura sua efficax, quæ defenditur in hoc systemate, è diametro opponitur excitanti gratiæ versatili. Atqui excitans gratia versatilis est ea, sub qua voluntas potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Patet ex statu innocentie, in quo ipsius Adversarii propterea dicunt excitantem gratiam fuisse versatilem, quod voluntas sub illa in quam vellet contradictionis partem, sese converteret. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Atqui voluntatem non posse pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem convertere, & voluntatem non posse se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinare, synonyma sunt. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi. Atqui gratia excitans, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi, est proculdubio gratia necessitans, est certò certius gratia illa, quam defendit Calvinus, & post Calvinum Janenius. Ergo, &c.

At dicent mihi. Ergo damnas gratiam ex natura sua efficacem. *R.* Aliud est damnare gratiam excitantem ex natura sua efficacem, & aliud damnare gratiam ex natura sua efficacem. Itaque non damno gratiam ex natura sua efficacem, quia non damno gratiam operantem, physicè prædeterminativam, adeoque ex natura sua efficacem; quam non sine aliqua probabilitate defendunt Thomistæ. At dico gratiam excitantem, efficacem ex natura sua, esse necessitantem gratiam, & eam, quam defenderunt Calvinus & Janenius, proindeque ab omni homine Catholico rejiciendam.

Dicent iterum. Eadem est causa gratiæ excitantis & gratiæ operantis. *R.* Minimè verò: nam gratia operans, ut observat Janenius ipse, se habet instar concursus generalis, adeoque non pertinet ad actum primum, quem proinde ad alteram contradictionis partem antecedenter obligare non potest. Unde in systemate gratiæ operantis, efficacis ex natura sua, actus primus immunis est ab omni necessitate, & voluntas expeditam habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi. At gratia excitans se habet ad modum potentie, adeoque pertinet ad actum primum, quem proinde non potest non antecedenter obligare ad alteram contradictionis partem, si ex natura sua efficax est. Pro quo sic adhuc

Argumentor. 1. Gratia excitans dat posse, & gratia ex natura sua efficax, utpotè ex natura sua impossibilis cum negatione consensus salutaris, ad consensum salutarem insuperabiliter prædeterminat. Ergo gratia excitans, efficax ex natura sua, dat posse insuperabiliter prædeterminatum ad consensum salutarem. Atqui cum hoc posse manere non potest eligendi facultas in utramque partem libera & soluta, in qua facultate consistit libertas arbitrii. Ergo in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua efficacis, nec manet, nec manere potest libertas arbitrii. 2. Gratia excitans se tenet ex parte actus primi, & gratia ex natura sua efficax, est per se & intrinsecè irrepudiabilis, adeo-

que per se & intrinsecè ad alteram contradictionis partem obligativam. Ergo in systemate excitantis gratiæ, ex natura sua efficacis, actus primus est antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligatus, proindeque voluntas expeditam non habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ requiruntur ex parte actus primi, in qua saltem facultate libertas arbitrii consistit.

ARTICULUS VIII.

Utrum gratia efficax constituenda sit in operante gratia, voluntatem ad salutarem consensum physicè prædeterminante.

RESPONSIO.

Constituenda non est.

Prob. 1. ex Scriptura: cum enim loquitur de gratia efficaci, non operantis, sed excitantis gratiæ meminit, ut patet ex Apostolo Rom. c. 8. *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: quos autem præcivit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic manifestè loquitur Apostolus de prima gratia efficaci, electis ad credendum data, quæ est effectus prædestinationis, & quam infallibiliter consequitur justificatio cum glorificatione. Atqui vocat illam vocationem secundum propositum. Vocatio autem est excitans, non operans gratia. Igitur, secundum Apostolum, prima gratia efficax, seu gratia efficax, quæ electis ad credendum datur, est gratia, non operans, sed excitans, quam eis Deus dat ex proposito, hoc est, ex absoluta & efficaci voluntate eos perducendi ad gloriam, & quam proinde eis dat quomodo scit eis congruere, ut velint credere, & credant. Atqui quod dicitur de prima gratia, dici debet de secunda, tertia, quarta, &c. Ergo, secundum Apostolum, omnis efficax gratia in excitante, non in operante gratia consistit.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui loquens de gratia efficaci, ponit eam, non in operante, sed in excitante gratia: nam cum Apostolo ponit eam in vocatione; ut epist. 107. ubi sic ait: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libera ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alia atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum, proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac predicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiæ sue largitate donaret.* Hic manifestè loquitur S. Doctor de gratia efficaci, qua nimirum Deus præparat & operatur hominis voluntatem, hoc est, boni operis volitionem. Itaque juxta S. Doctorem, gratia efficax est vocatio; est vocatio illa alta & secreta, qua Deus sic agit & movet hominem, ut legi atque doctrinæ Christianæ assentiatur & obsequatur; est vocatio, qua Deus ad fidem suam infidelium corda convertit, & conversis proficientem perseverantiam donat. Itaque, juxta S. Doctorem, gratia efficax est excitans gratia, qua Deus modo quodam alto & secreto movet hominem, & sic movet, ut bonum velit & operetur; non verò gratia operans, qua Deus voluntatem hominis physicè & insuperabiliter prædeterminet: neque cum oramus, ut Deus ad fidem suam infidelium corda convertat gratia sua efficaci, & conversis ejusdem gratiæ largitate donet proficientem perseverantiam; gratiam operantem physicè & insuperabiliter prædeterminantem, juxta S. Doctorem petimus, sed excitantem illam gratiam, qua sic congruè tangitur cor hominis, ut ad veram fidem convertatur, & conversus, continuata eadem gratia, in

in vera fide perseveret; & bonorum operum exercitio proficiat usque in finem.

Similiter loquitur de gratia efficaci, lib. de prædest. Sanct. c. 16. cum ait: *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias... sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinguit Apostolus... sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt.* Cum autem gratiam efficacem nominat certam quandam vocationem, sicut & vocationem altam & secretam evidenter intelligit modum aliquem intrinsicum excitanti gratiæ, vi cuius excitans gratia sic congruit hominibus in talibus circumstantiis existenti, eumque ita vocat quomodo illis aptum est, ut vocantem sequatur, volendo & operando bonum, ad quod volendum & operandum vocatur; non enim nisi manifestè violenta interpretatione dici posset intelligere aliquid extrinsecum, excitanti gratiæ superadditum, operantem scilicet gratiam, physicè prædeterminativam: nam sic loquendo, & vocationem electorum propriam appellando certam quandam, altam & secretam vocationem, manifestè intendit eam commendare, exprimendo internam aptitudinem & attemperationem, quam habet, & qua præstat vocationi eorum, qui vocantur, & tamen nolunt venire. Juxta S. Doctorem igitur, gratia efficax est gratia excitans, homini congrua & attemperata, atque ita congrua & attemperata, ut homo velit & operetur bonum.

De hac S. Doctoris mente dubitare non sinunt ea quæ habet lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. *At forte, inquit, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit. Multi vocati, pauci electi: ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei: & illud non minus verum sit: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem? Si vellent etiam ipsorum misereri (eorum scilicet qui vocati non veniunt) posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati... Etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.... Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respiciat.*

Juxta S. Doctorem, qui hoc modo vocati non veniunt, alio modo vocati venirent. Unde hoc modo vocati non veniunt, non quia ad veniendum non prædeterminantur per operantem gratiam, sed quia non vocantur alio modo, cui congruerent & contemperarentur. Multi uno modo vocantur, & tamen non omnes sequuntur vocationem, non quia non omnes ad sequendam vocationem per operantem gratiam prædeterminantur, sed quia non omnes congruunt ac contemperantur vocationi; & non omnes congruunt ac contemperantur vocationi, quia non omnes uno modo affecti sunt. Ex multis uno modo vocati pauci sequuntur vocationem, quia illi tantum vocationem sequuntur, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & ei capiendæ idonei reperiuntur pauci, qui tali modo affecti sunt. Verum igitur est illud Christi, *Multi vocati, pauci vero electi.* Illi enim tantum electi, qui sequuntur. Pauci autem sequuntur, non quia pauci ad sequendum per operantem gratiam prædeterminantur, sed quia pauci congruenter vocantur; & pauci congruenter vocantur, quia pauci contemperantur vocationi; & pauci contemperantur vocationi, quia pauci tali modo sunt affecti. Illi ergo non electi, qui non contemperantur vocationi, quia non congruenter, vocantur, & incongruenter vocati non sequuntur.

Item verum est illud Apostoli, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* Illi enim tantum sunt electi, qui sequuntur vocationem; & illi tantum sequuntur vocationem, qui hoc modo vocantur, quomodo eis aptum est, ut vocationem sequantur; & illi tantum hoc modo vocantur, quorum miseretur Deus: nam Deus eorum tantum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Aliorum autem, quos etiam vocat, sed vocati non sequuntur, non miseretur, ea scilicet commiseratione, quæ electorum propria est, non quia filios ad sequendum non prædeterminat per gratiam operantem, sed quia per excitantem gratiam non sic eos vocat, quomodo scit eis congruere ut vocantem non respiciant. Quod si vellet etiam eorum misereri, vocati sequerentur, non quia eos ad sequendum per gratiam operantem prædeterminare posset, sed quia per excitantem gratiam posset eos ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.

Ex his clarè vides à S. Doctore efficacem gratiam, non in operante gratia, physicè prædeterminante, sed in excitante gratia, qua Deus sic vocat hominem, quomodo scit ei congruere, ut non respiciat vocantem, sed & moveatur, & intelligat, & sequatur. Itaque, juxta S. Doctorem, gratia efficax est excitans gratia, homini quid ad opus salutare excitatur, congruam, non quidem congruitate absoluta, sed relativa ad præsentem mentis & cordis habitudinem, qua fit ut homo ipse congruat & contemperetur gratiæ, atque ita congruat & contemperetur, ut, quantumvis in ejus potestate sit vocantem respicere, non tamen respiciat, sed sequatur. De gratia autem operante, voluntatem physicè prædeterminante, S. Doctorem vel somnando cogitasse probabis nunquam ex ejus scriptis vel principiis. Imò verò doctrinæ ejus è diametro opponi operantis gratiæ physicè prædeterminantis systema, haud opusolum est ostendere.

S. Doctor lib. de corr. & gr. c. 11. sic loquitur: *Ille (Adamus) non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia per Jesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam possunt.* Auxilium autem illud, quod in præsentis statu implorant Sancti, est proculdubio gratia efficax: nemo enim implorat gratiam purè sufficientem. Præterea S. Doctorem intelligere illud auxilium, quocum Sancti non solum pugnare possunt contra rebellantem concupiscentiam sed etiam illam vincere possunt, & re ipsa vincunt, extra omnem controversiam est.

Itaque juxta S. Doctorem, in hoc statu naturæ lapsæ sancti ad bonum volendum & faciendum indigent gratia efficaci, qua non indiguit primus homo in statu innocentie: secundum Thomistas, primus homo in statu innocentie ad bonum volendum & operandum indiguit eadem gratia efficaci, qua indigent Sancti in hoc statu naturæ lapsæ. Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status non est necessaria, nisi propter intestinam carnis & spiritus luctum, qua sublata, non esset necessaria: secundum Thomistas gratia efficax est necessaria propter supremum Dei dominium in creaturam, essentialem causæ secundæ subordinationem ad causam primam, & naturalem voluntatis indifferentiam: unde gratia efficax eadem, secundum Thomistas, est omnium statuum, in quibus natura humana constitui potest; cum tamen gratia efficax præsentis status ei propria sit, juxta S. Doctorem. Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status se habet ad modum virtutis, adeoque pertinet ad actum primum, & dat posse: secundum Thomistas, gratia efficax se habet instar con-

concurfus, adeoque pertinet ad actum secundum, & dat tantum operari.

Juxta S. Doctorem, gratia efficax praesentis status est gratia liberationis: unde ea non indiguit primus homo in statu innocentiae, quia quando mansit in statu innocentiae, liberatione non indiguit: cum ea contra indigeant Sancti in hoc statu naturae lapsae, quia liberatione indigent propter concupiscentiam captivantem eos in lege peccati. Gratia efficax, quam defendunt Thomistae, non est liberationis gratia: fuit enim, secundum Thomistas, necessaria homini innocentis, quamvis liberatione non egeret; & tamen gratia liberationis non nisi liberandis necessaria esse potest. Praeterea, gratia liberationis, juxta S. Doctorem, eatenus liberat, quatenus sufficienter restituit aequilibrium, quod per originale peccatum amissum est, proindeque gratia liberationis pertinet ad actum primum: cum enim aequilibrium sit actus primi, non nisi per aliquid ad actum primum pertinens restitui potest. Efficax autem gratia, quam Thomistae defendunt, non se tenet ex parte actus primi; unde non potest esse liberationis gratia, saltem secundum mentem S. Doctoris.

Quid plura? Gratia efficax praesentis status, juxta S. Doctorem, est auxilium quo Deus certo modo aperit quod antea latebat, & certo modo suave facit quod antea non delectabat. Patet ex his S. Doctoris verbis: *Cum ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat & suave faciat quod non delectabat?* At nihil horum praestare potest gratia efficax, quam defendunt Thomistae. Juxta S. Doctorem, gratia efficax praesentis status, ut apparet ex eius verbis modò laudatis, consistit in illustratione mentis, & in deliberata motione voluntatis, quibus suaviter placet bonum salutare. Operans verò gratia, physice praedeterminans, est ens quoddam diminutum, transeunt exiens in voluntate ad modum speciei intentionalis, quae juxta obsoletam Physicam ab objecto emissa, juxta illius influxum ad existendum indiget, & per aerem veluti quoddam vehiculum transmissa deferretur in oculum cum lumine, eumque ad objecti visionem determinat.

Prob. 3. Quia non satis apparet, quomodo voluntas expeditum habeat libertatis arbitrii exercitium in systemate operantis gratiae, physice praedeterminantis. Nam sic argumentor. Illud agens non agit ex propria determinatione, quod non agit, nisi dependenter ab actione praevia alterius agentis, in ipsum agentis naturam prius, quam agat, ipsumque insuperabiliter praedeterminantis ad hoc agendum. Atqui in systemate Thomistico, voluntas non vult & operatur hoc bonum, nisi dependenter ab actione praevia Dei, in ipsam agentis naturam prius, quam velit & operetur hoc bonum, ipsamque insuperabiliter praedeterminantis ad hoc bonum volendum & operandum. Ergo voluntas, in systemate Thomistico, non vult & operatur bonum ex propria determinatione, adeoque in bono volendo & operando non habet expeditum libertatis arbitrii exercitium. Libertas autem arbitrii, quae nec exercetur, nec exerceri potest unquam, ad quid prodesse potest?

Minor patet. Major sic videtur posse demonstrari. Illud agens non agit ex propria determinatione, quod agit cum antecedenti & insuperabili obligatione ad alteram partem contradictionis: antecedens enim & insuperabilis ad alteram partem contradictionis obligatio manifestè videtur excludere propriam agentis determinationem ad agendum. Atqui agens quod non agit, nisi dependenter ab actione praevia alterius agentis, &c. agit cum antecedenti & insuperabili obligatione ad alteram partem contradictionis, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Nec dic, 1. in systemate Thomistico antecedentem & insuperabilem obligationem ad alteram partem contradictionis se tenere ex parte actus secundi tantum. Inde enim tantum sequi potest, quod in systemate Thomistico remanet libertas arbitrii. Sed ad quid pro-

desse potest haec libertas, si expeditum illius exercitium nullum est? At sicut antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens ex parte actus primi, tollit libertatem arbitrii; ita antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens ex parte actus secundi, manifestè videtur tollere expeditum libertatis arbitrii usum. Unde sicut in systemate excitantis gratiae, insuperabiliter praedeterminantis, nulla est arbitrii libertas, quia in illo systemate antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis se tenet ex parte actus primi; ita in systemate operantis gratiae, physice praedeterminantis, nullus videtur esse posse expeditus arbitrii libertatis usus, quia in hoc systemate reperitur antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens saltem ex parte actus secundi.

Nec dic 2. Deum per operantem gratiam, physice praedeterminantem, movere voluntatem secundum exigentiam ejus eamque proinde praedeterminare ad volendum & agendum hoc ex propria determinatione. Nam Deum movere voluntatem secundum exigentiam ejus, illam antecedenter & insuperabiliter obligando ad alteram partem contradictionis, manifestam videtur in terminis implicare contradictionem. Nec Deus, eo quod sit omnipotens, magis potest movere voluntatem secundum ejus exigentiam, illam antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligando, quam potest facere montem sine valle, vel baculum sine duobus extremis. At Deus per gratiam operantem voluntatem physice praedeterminando, illam antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligaret saltem ex parte actus secundi.

Prob. 4. Quia non satis apparet, quomodo systema Thomisticum conciliari possit cum Concilio Senonensi, docente hominem efficaci gratiae resistere posse. Nam resistere est vincere, vel saltem elidere, adeoque posse resistere, est posse vincere, vel saltem posse elidere vim agentis ex adverso congradientis. At voluntatem posse vincere, aut etiam elidere vim gratiae, ipsam insuperabiliter praedeterminantis, manifestè repugnat in terminis. Et verò voluntatem posse vincere vim gratiae, ipsam insuperabiliter praedeterminantis, idem est, ac voluntatem posse vincere vim gratiae, quam superare non potest; quod aperte nugatorium est, & evidentem involvit contradictionem.

Nec dic voluntatem posse resistere huic gratiae, considerata secundum entitatem; quamvis non possit ei resistere, si consideretur, ut est instrumentum Dei volentis absolute & efficaciter, ut voluntas operetur. Nam hoc videtur merum & inane effugium? 1. Enim operans gratia, physice praedeterminans, non est physice praedeterminativa per aliquid sibi superadditum, sed per suam entitatem; adeoque per suam entitatem est essentialiter impossibilis cum negatione operationis. Ergo per suam entitatem est essentialiter irresistibilis. Ergo, quod idem est, operantis gratiae, physice praedeterminantis, entitas essentialiter irresistibilis est. Ergo perperam dicitur voluntas posse resistere entitati operantis gratiae, physice praedeterminantis.

2. Ratio instrumenti operantis gratiae, physice praedeterminantis, entitati nihil superaddit; & operans gratia, physice praedeterminans, est instrumentum Dei, & tale instrumentum Dei per suam entitatem: unde eatenus irresistibilis est, ut est instrumentum & tale instrumentum Dei, quatenus habet entitatem irresistibilem, seu per se & intrinsece impossibilem cum negatione operationis. Perperam ergo dicitur voluntatem resistere posse operanti gratiae, physice praedeterminanti, considerata secundum entitatem; & non posse ei resistere, considerata ut est tale instrumentum Dei. Nam si gratia illa irresistibilis est, ut est tale instrumentum Dei, est etiam irresistibilis secundum entitatem; sicut si non est irresistibilis secundum entitatem, nec irresistibilis est, ut est tale instrumentum Dei.

At inquit. Operans gratia, physicè prædeterminans, potest considerari dupliciter. 1. Præcisè, ut est ens. 2. Ut est tale ens. Non est autem irresistibilis: ut est ens præcisè, sed ut est tale ens. Potest igitur voluntas ei resistere, si consideretur præcisè ut est ens; & non potest ei resistere, si consideretur ut est tale ens. R. Si gratia illa consideretur præcisè ut est ens, neque resistibilis, neque irresistibilis est, sed præcindit ab utroque: unde ei sic consideratæ neque potest, neque non potest resistere voluntas, sed ab utroque præcindit. Hoc ipso autem quod gratia illa irresistibilis est, ut est tale ens, est simpliciter irresistibilis, & cum non possit non esse tale ens, est essentialiter irresistibilis; adeoque de ea simpliciter dici debet, quod voluntas non possit ei resistere pro ullo casu verè possibili; & allata distinctio ad aliud valere non potest, quàm ad eludendam auctoritatem Synodi, imò & ejus doctrinam Novatorum ludibrio propinandam.

Prob. 5. Quia non satis apparet, quomodo systema Thomisticum conciliari possit cum Tridentina Synodo, docente liberum hominis arbitrium gratiæ efficaci dissentire posse, si velit. Nam dissentire gratiæ in sensu obvio, est non ponere actum salutarem, ad quem actu movet gratia; & ita posse dissentire gratiæ in sensu obvio, est posse non ponere actum salutarem, ad quem actu movet gratia. Atqui voluntas non potest non ponere actum salutarem ad quem ponendum operans gratia actu insuperabiliter prædeterminat, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Nec dic voluntatem non posse non ponere actum salutarem, ad quem ab operante gratia physicè prædeterminatur; quia tunc re ipsa ponit actum illum, & ex hypothesi quod ponat, non potest non ponere; alioqui posset actum simul ponere & non ponere, quod repugnat. Nam voluntas præter consequentem hanc impotentiam, ortam ex actuali positione actus, quæ non repugnat libertatis exercitio, sed illud necessariò consequitur, manifestè videtur, natura prius, quàm actum ponat, aliam habere impotentiam, antecedentem & insuperabilem, ex essentiali operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, impossibilitate cum negatione actus profectam; quacum impotentia expeditum libertatis exercitium stare non potest, & quam proinde Synodus reprobat, cum definit, liberum hominis arbitrium efficaci gratiæ posse dissentire, si velit. Hinc

Sic adhuc argumentor. Tridentina Synodus cum definit liberum hominis arbitrium Deo moventi & excitanti posse dissentire, si velit, definit, voluntatem saltem natura prius, quàm ponat actum salutarem, ad quem actu movetur à gratia efficaci, posse non ponere actum illum, adeoque actum illum ponere absque omni antecedente & insuperabili obligatione ad illum ponendum; quia alioqui non poneret ex propria determinatione, sed ad ponendum necessitaretur. Atqui ex hypothesi quod voluntas ad actum salutarem ab operante gratia physicè prædeterminetur, nequidem natura prius, quàm ponat actum illum, potest illum non ponere; cum natura prius, quàm ponat actum illum, sit antecedenter & insuperabiliter ad illum ponendum obligata propter essentialem operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, impossibilitatem cum negatione actus. Ergo manifestè videtur suppositio operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, repugnare Tridentinæ definitioni.

Prob. denique 6. Sit hæc hypothesi. Titius iustificatus tenetur sub gravi elicere actum charitatis intra quadrantis latitudinem, & elapso quadrante, nec producto charitatis actu, reus est mortalis transgressionis, adeoque ex iusto fit iniustus & peccator. Jam sic dico: Non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in suppositione facta peccet imputabiliter contra præceptum charitatis, etiam supponendo quod habeat excitantem gratiam, in sua linea proximè sufficientem. Nam sic argumentor. Ille iustus non peccat imputabiliter contra præceptum charitatis, actum amoris omittendo, qui nequidem in præparatione

habet concursum ad actum amoris necessarium. Atqui non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in facta hypothesi habeat in præparatione concursum ad actum amoris necessarium. Ergo non satis apparet, &c.

Majorem non negabunt Thomistæ. *Probomin.* In systemate Thomistico, operans gratia, physicè prædeterminans, se habet instar concursus ad omnem actum salutarem necessari. Atqui non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in facta hypothesi habeat saltem in præparatione operantem gratiam ad actum amoris physicè prædeterminantem. Nam si habet in præparatione, ab eo verè pender ut habeat actu. Et si ab eo verè pender ut habeat actu, non habet actu, ob aliquam suam præsentem culpam. Atqui in systemate Thomistico non satis apparet, quare non habeat actu, & ob quam suam præsentem culpam non habeat actu. Ergo, &c.

Dices. Non habet actu operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem, quia non consentit gratiæ excitanti ad actum amoris, & non consentiendo ponit impedimentum operanti gratiæ ad actum amoris physicè prædeterminanti. R. Ergo si consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris, acciperet operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem; & acciperet, quia consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris. Atqui hoc videtur evidenter falsum in systemate Thomistico. Nam in hoc systemate, si Titius consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris, haberet quidem operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem; at hanc non haberet, quia consentiret illi; sed è contra consentiret illi, quia hanc haberet; consentiret enim gratiæ ad actum amoris excitanti, producendo actum amoris; cum consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris, & producere actum amoris, ad quem excitat gratia, sint unum & idem formalissimè. Non autem produceret actum amoris, nisi quia natura prius haberet operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem. Ergo non haberet hanc gratiam, quia consentiret gratiæ excitanti, sed è contra quia hanc gratiam haberet, gratiæ excitanti consentiret.

Dices. Titius in hypothesi facta non habet operantem gratiam ad actum amoris physicè prædeterminantem; quia non permittit se ad actum illum prædeterminari. R. Illud, non permittit, dicit aliquam resistantiam. Ergo vel negativam, vel positivam. Si primum, resistantia illa negativa aliud esse non potest, quàm negatio consensus dandi gratiæ excitanti ad actum amoris; adeoque hæc responsio coincidit cum prima, quam modò confutavimus. Si secundum, resistantia illa positiva aliud esse non potest, quàm actus, quo Titius non vult consentire gratiæ excitanti, vel, si vis, actus quo non vult amare Deum. At ut valeat hæc responsio, manifestè requiritur, ut Titius habeat in præparatione operantem gratiam, ad actum, quo veller amare Deum, si re ipsa veller, physicè prædeterminantem, qua proinde caret ob suam aliquam præsentem culpam. Queritur ergo quare careat? Hoc pacto fiet progressus in infinitum.

ARTICULUS IX.

In quo auxilio consistat gratia efficax.

RESPONSIO I.

Gratia efficax est gratia excitans, certo modo attemperata voluntati, ex natura sua etiam moraliter & humanitus repudiabilis, cum consensu salutari connexa infallibiliter infallibilitate absoluta quidem, sed extrinseca, petita à præcipientia, sub cuius directione gratis & misericorditer donatur.

Prob. 1. Gratia efficax est gratia excitans. Nam vel est gratia excitans, vel gratia operans. Non est gratia operans (ex Art. 8.) Ergo, &c. Præterea, gratia efficax est vocatio interna (ex Art. eodem.) Sed vocatio interna est gratia excitans. Ergo, &c.

2. Gra-